cum ijs agebant, existimabantq; omnes sedatas fuisse iras. Sed adepol non cessat ulterius magnarum animus, nisi sanguinem biberit, uel iniuriam ijs inferas, aut seruiendo illis probè per nebulones intulisse persuadeatur plane idem est, utrumq; probum hominem potentia eorum, ne dicam, insolentiæ subijcit. Insitumq; quippè est humanæ menti imperio insolenter uti, cum ~~non~~ solet seruari modus in re quæ supra modum, et nobis etiam forsitan latet anguis in herba, non urimus quia igne caremus. Interim Cæliuagus, ad Parentem, quemadmodum pollicitus fuerat abijt, satisq; amicè ab eo acceptus, sequentibus diebus, qua potuit humanitate semper Parentem allocutus, unicum subnixè petijt, ut Lyncæorum hostes, præcipuè tres, domo exularet, non tantum quia Lyncæorum hostes, sed quia paternæ invidebant benevolentiæ, et familiam universam æmulationibus replebant; quemadmodum pollicitus: Sed quod hic notandum argutum Aulicorum panurgicum, illud est: Absentibus à Cæliuago Principe Lyncæis, quos ipsimet expelli aiebant Balatrones, hos Lyncæis insidias struere, ei persuadebant, cum nullum horum, præterquam unum inculpare poterat, cæteros sordidos homunculos, quos ~~illum~~ eliminare non audebant, ne eorum publicarent nefanda, quasi Principis stimulatione moti expelli voluerunt, atq; eam ob caussam concessa fuit executaq; Cæliuagi petitio. Quæ vero scribebantur epistolæ, ab urbe ad Cæliuagum ab Aulicis intercipiebantur, et licet hyroglyphica scriptione uterentur, explicatæ fuerunt, nisi ~~tamen~~ eam ob caussam Spoleto Illuminatus pedites, ~~ut~~ ad Principis proprias manus deferrentur, tunc primum cœpit Cæliuagus cautius apud Tabellarios epistolas inquirere, et Eclipsatum qui ipsi tunc aderat, ut earum curam ageret exhortatur. Nam antea silentium Lyncæorum accusauerat, ad eos non scribere existimauit.

Vigesimo secundo Januarij die, reuersus ad urbem Dux cum Eclipsato; tribus igitur simul in urbe Lincæis coactum fuit consilium, statutumq;, ne ulterius Romæ moraretur Illuminatus, sed ad Cæliuagum 22